

sequelam. Nā etiam in qualibet alia scien-
tia naturali concurrunt duo lumina distin-
cta, alterum naturalē primorum princi-
piorum, alterum acquisitum illius virtute
per demonstrationem: tamen hoc non ob-
stat ad unitatem specificam cuiuslibet scie-
ntiae. Ita etiam unica est scientia Theolo-
giae, quamvis illa duo lumina concurrant,
eo quod lumen Theologicum acquisitum
est subordinatum lumini infuso, in eius
virtute acquiritur per demonstrationē Theo-
logicam. Unde ad obiectiones alterius op-
ponimus dicimus. Ad primam iam pater ex-
secundā conclusionē. Ad secundā responde-
tur, q̄d etiam in alijs scientijs subiectū
principiorum & conclusionum est idē ma-
terialiter, sed distinguuntur formaliter per
rōnēm formalem scientiā, & habitū pri-
mōrum principiorum. Ad tertiam respon-
detur, q̄d discursus syllogisticus non est ra-
tio formalis assentiendi conclusionib. sed
applicationē rationis formalis, per quam af-
fentitur intellectus praemissis. Quæ quidē
ratio formalis si fuerit primorum principiorum,
ita ut veraque praemissa sit primum prin-
cipium, tunc generatur mediante eviden-
tia consequentiæ quidam habitus, qui sub
alia ratione formalis assentit conclusionib.
Si autem ratio formalis assentiendi praemis-
sis fuerit scientifica, tunc intenditur, & ex-
tenditur ad nouas conclusiones. Et hæ ve-
rissima sunt, si quis attente consideret do-
ctrinam Peripateticam in libro 1. Postler. D
capitu. 2.

Dubitatur tertiò pro maiori explica-
tione præcedentium, an quando ali-
cui particulari fidelī sit reuelatio diuina in-
terius certificans de aliqua veritate etiam
supernaturali, ille fidelis assentiat per fidē
infusam.

Pro parte affirmatiua arguitur prim. Nam ratio assentiendi formalis, & specifica
est eadem cum ratione: per quam assentit
fides, scilicet autoritas Dei dicens, ergo
ille fidelis assentiat per fidem.

Secundo arguitur. Si ille homo dissentiat
per veritati reuelata, est hæreticus, ergo
si assentit, necesse est, ut per fidem assen-
tiat.

Ad hoc respondeatur breviter, & fit pri-
ma conclusio. Illa veritas per se spectat
ad fidemque attinet ad religionē Chri-
stianam, & communem Ecclesiæ utilitatē.
Hæc probatur ex illo ad Ephesios. 4. Ipse

A dedit quoddam quidem Apostolos &c. in
opus ministerij in edificationem Corporis
Christi, & ad Titum 1. Apostolus fidē vocat
agnitionem veritatis, quæ est secundū pie-
tatem in spem vite æternæ. i.e. secundum re-
ligionem Christianam ad consequendam
vitam eternam. Item 1. Petr. 1. Reportan-
tes finem fidei vestre salutem a nimatu ves-
trarum, sed quæ pertinent ad salutem no-
ta sunt Ecclesiæ, ergo illa per se pertinet
ad fidem. Et hoc docet D. Tho. in fr. q. 5. ar-
tic. 3, dum ait, q̄ ratio formalis obiecti fidei
est veritas prima, secundum quod manife-
statur in scripturis sacris, & doctrina Ec-
clesiæ.

Secunda conclusio. Alia reuelata parti-
cularibus personis etiam supernatura sunt,
vt v.g. aliqui reuelaretur, quod ex me-
rito Christi Angeli consuti sunt gloria,
non ptinet ad assensum fidei virtutis Theo-
logicæ. Probatur. Quia fides propterea di-
citur catholica, quia assentit ijs, quæ nota
sunt Ecclesiæ, & ab ea proponuntur, sed hu-
iusmodi reuelata non sunt nota Ecclesiæ,
neque ab ea proponuntur, ergo non perti-
nent ad assensum fidei catholicae. Tertia
conclusio. Ad assentendum huiusmodi re-
uelatis sufficit, respectu cius cui sit reuelatio
lumen, illud particulare inditus a Deo
per modum impressionis transiuntis, siue
sit lumen propheticum, quod est respectu
corporalium, quæ per intellectum creatum
comprehendi possunt ex natura sua cu[m] fue-
rint posita in rerum natura, siue sit respe-
ctu aliquius supernaturalis veritatis, cuius-
modi reuelationes non sunt credendæ fieri
hominibus à Deo. Non enim est credibile,
quod Deus veritatem eternam aliqui re-
velet, nisi ut toti Ecclesiæ innotescat, quales
fuerunt reuelationes factæ Apostolis,
qui fuerunt ministri ad explicandas res fi-
dei Ecclesiæ Christi.

Ultima conclusio. Respectu aliorum,
quibus narrantur tales reuelationes parti-
culares, fides humana sufficit cum pruden-
tia, ne ex leui conjectura credantur, nun-
quam tamē fides Catholica ad huiusmo-
di assensum inclinat propter, quod ab
Ecclesia nec proponuntur, nec proponi pos-
sunt, ut credenda.

Ad argumenta in oppositum respon-
detur. Ad primum Caietanū inquit super
hunc articulum, nihil valere consequen-
tiā, quia non reputat inconveniens, quod
obiectum